Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31304
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

fuit. Cetera tempus compleverunt sic lecto decubabat. et custodes assidebant
ei. Respiciens igitur contra orientem. vidit apertis oculis coram se stare
dominum salvatorem eiusque gloriosam genitricem. sed et apostolorum. martirum.
et confessorum congregationem multam nimis. Quibus visis magnifice
letificatus est. et innuens custodibus suis per signum querens si et ipsi vi-
derent que ipse clare videbat. significans dominum et beatam virginem
et sanctorum choros adesse. Diaconus itaque respiciens ad visum
subrisit. putans egrotum alienatum esse. Quod et infirmus ipse confestim
intelligens faciem ab illis deflexit. dominumque et sanctos cum multa reve-
rentia diu respiciens. ac multas sic iacendo potuit inclinati-
ones reverentissime faciens. tandem fatigatus quievit. O non
tam mira quam super favum mellis dulcis res. o spectaculum pulcherri-
mum. o visio gloriosa. quam et quantum nostra precordia si fideliter atten-
dimus. usque ad medullam extrema percutit amoris. cum audimus
regem regum dominum dominantium. dominum exercituum adhuc famulum
suum non solum non occulte. sed cum clientum multitudine copiosa.
immo quod magis stupore. mentis penetrat interiora. matre etiam
comitante. per se venisse. quos previos suos se vocaturum promittit ad
nuptias invitatos. Sed recordatus est dulcissimi verbi sui quod pro conso-
latione amantium festinans ad passionem. discipulis reliquit posteris
seminandum. dicens. Qui diligit me diligetur a patre meo. et
ego diligam eum. et manifestabo ei meipsum. Ad quod hic domine. Ut
ego inquit veniens eum accipiam ad meipsum. et cenabo cum eo